



Universitätsbibliothek Paderborn

Ioannis Ioviani Pontani amorum libri II.

Pontano, Giovanni Gioviano

Venetiis, 1518

Vxorem alloquitur de militia conquerens.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13534

Carpe diem, & Genij munera redde toro.
 Hoc tua te uel forma monet, uel coniugis ardor,
 Hoc lex coniugij, uinculaq; amoris habent.

VXOREM ALLOQUITVR
 de militia conquerens.

n On ego diuitias coniux, aurumq; secutus
 .Ad tua confiteram limina amata procus.
 Sed mores, sed pura fides, sed gratia traxit,
 Et formæ, quod erat candida fama tuæ,
 His ego permotus connubia grata petebam,
 Et tali felix coniuge uisus eram.
 Fauit amor, teneriq; parens insignis amoris,
 Et sua coniugio uincla paravit Hymen.
 O' mihi felices noctes, lucemq; beatam,
 O' mihi blanditijs gaudia plena suis.
 Ergo ego uota bonis Laribus, Genioq; ferebam,
 Placabam & multa numina sancta prece.
 Inuidit bellorum author, qui pace repulsa,
 Concudit Aemiliae sanguinolentus agros.
 Sæue pater tua tela precor, tuaq; arma reconde.
 In Veneris niueos fesse recurre sinus.
 Illa tibi ignotaq; uices, ignotaq; seruat
 Gaudia, delicias lente morare tuas?
 Mars propero, sic poscit amans, sed terge cruorem,
 Et tua seposita corpora ueste tege.
 Illa quidem tibi tota uacat, dum coniugis artes
 Lemnos habet, dum uir fulmina nigra quatit.
 Quid cessas uiolente, tuosq; moraris amores?
 Me miserum falso nomen amantis habes.

F

DE AMORE CONIVGALI.

Te belli, te cædis amor non mollia tangunt
Oscula, non gratae dulcia ad arma uices.
Immemor amplexus & murmura blanda relinquis
Immemor: o' mira rusticitate deum.
Non tibi post iuuenilem operam, mixtasq; querelas
Succurrit lenis lassa per ossa sopor.
Non facilis post bella quies? frustraq; capillum
Nunc colit, & roseo splendet ab ore Venus.
Heu heu crudeles coeunt ad signa manipli.
Heu heu non se gnes miles obarmat equos.
Militiam sequitur uates, fert tela maritus,
O' graue coniugium, Pieridesq; malas.
Otia Pieridum fuerant, requiesq; maritis.
Non mihi coniugium, non mihi mutsa ualeat,
Sed neq; me uel tela mouent, uel letifer hostis,
Aut iuga perpetua continuata nunc.
Tu coniux, tu sola moues, tu causa dolorum,
Qua sine nec uideor uiuere posse mihi.
Lux grauis, at grauiora manent me somnia noctis,
Somnia imaginibus nigra futura suis,

AD VXOREM.

p Arce meum coniux absens temerare cubile,
Castaq; legitimi fallere iuratori.
Ne'ue alij compone, leues imitata puellas,
Neu mihi sint fidei pignora uana tue.
Qui primus lateri ferrum crudele reuinxit,
Monit & audaci ferrea bella manu,
Illi sint tristes diræ, cineremq; reuellat
Ianitor, & rabida deterat ossa fame.